



Disputatio medica inauguralis de pleuritide

<https://hdl.handle.net/1874/343797>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PLEURITIDE,

QUAM
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academia Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON
*Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimæque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis, ritè
& legitimè consequendis,

Eruditorum examini subicit

JOHANNES GROENVELT, HORNA-BATAV.

Ad diem 23. Julii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō lbc xcii.

Amplissimis , Gravissimis , Spectatissimisque
V I R I S ,

D. D. JACOBO à FOREEST , J.U.D.

Senatori , atque Consuli Reipublic. Hornanæ spectatissimo ; ibidemque D. D. Ordin. ex collegio illustr. ac præpot. D. D. Hollandiæ & Westfrisiæ in partem borealem Secretario solertissimo , vigilantissimo.

D. D. ALLARDO MERENS , J.U.D.

civitatis ejusdemque Viro Consulari , meritissimo.
Dominis ac viris mihi indies honorandis , colendis.

U T E T

Clarissimo , variaque scientiæ , experientia praxeosque dexteritate conspicuo VIRO ,

D. D. JACOBO VALLAN. M.D.

atque in illustri Trajectino Lycæo , praxeos & instit. Med. Profess. Ordinar. præceptor atque Promotori meo fidelissimo charissimo , de studiis meis , quam plurimum merito , adeoque ad extremum vitæ halitum venerando.

N E C N O N

Doctissimo reverendoque VIRO ,

D. D. JOHANNI BEN , M.D.

inter Hornanos practico felicissimo , celeberrimo , cognato suo honorando.

*Hæc Theses inaugurales in debitæ
observantiæ signum*

offert

JOHANNES GROENVELT , Auctor.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PLEURITIDE.

THESIS I.



LEURITIS est membranæ Pleuræ, musculorumque intercostalium lateralis inflammatio, cum dolore punctorio, febris continuâ, ac respiratione difficili.

I I.

Partes affectæ sunt membrana Pleura, musculique intercostales; vix enim possibile existit, quin inflammata Pleurâ inflammari etiam debeant muscoli intercostales, à membrana pleura succincti adeo & contigui; nulla autem necessitas urgere videtur,

affectum esse pulmonem juxta quorundam sententiam, cum *αυτοπεία* in dissectis cadaveribus pleuritide extinctis contrarium evicit, in quibus pulmonum substantia plane illæsa fuit. Illud igitur potius ad Peripneumoniam referentes, dicimus de ejus essentia minime existere; quales igitur hunc morbum producere aptæ sint causæ in medium ducamus. Inter proximas affectum hunc foventes causas non immerito recensetur sanguinis stagnatio, Eiusdemque extravasatio, nec non pororum obstructio, à quacumque demum causa producta, ita ut sanguini per partes affectas, obstructasque circulaturo liber denegetur motus, quo fieri necessario aliter nequit, quin materia ibi retenta acris ac acida fiat, atque in definitione tradita Symptomata induci debeant.

III.

Remotiores autem hujus mali causæ sunt sanguinis coagulatio ac stagnatio ab humore acido, acri jam extravasatione causato aut tali existente, nec non nimis frigida corporis intemperies, vel inducta refrigeratio ab aëre externo, ubi corpus calore aut sudore diffluit, quâ humores inspissantur, illorumque naturalis retardatur motus: imo frigidum cervixæ vel alicujus frigidi liquoris haustum homini labore vel aliquo vehementiore corporis exercitio defatigato prædicta mala sæpenumero attulisse; practicum libri abunde tradunt, atque ex altissimo

I N A U G U R A L I S.

tissimo observationum puteo haurire licet.

I V.

Restat igitur ejus causis enodatis, ut nos ad signa, quæ hunc affectum ab aliis dignoscere docent, accingamus; illa *Pathognomonica* existunt *dolor lateris punctorius*, ortum ducens ex materia acri Pleuræ, musculorumque membranas continuo stimulante & vellicante, atque adeo propter continui nervorum solutionem, vel nimium motum, tristem menti sensationem sive dolorem offerente: *Punctorius* ille est, partim à fibrillarum nervearum distensione, partim ab impulsu sanguinis fervidioris non satis libere propter obstructions pororum, tubulorumque transeuntis.

V.

Secundum *Pathognomonicum* signum existit *respirandi difficultas*, quæ ob inflammationis tumorem thoracis musculos dilatationi inservientes adeo comprimit atque angit, ut thorax inde sufficienter dilatari, atque respiratione satis liberâ contrahi nequeat.

V I.

Tertium atque ultimum *Pathognomonicum* signum existit *febris continua*, quæ pro materia peccante,

aut vehemens aut mitis est, suasque exercet tragedias; prout enim sanguinis circulatio plurimas in mixtura perturbatorum & inflammatorum humorum particulas secum rapuerit, atque ad cor deduxerit. hæc febris etiam determinari potest; *continua* vero hæc febris est, quia ejus fomes & ratione partium fluidarum & solidarum læsarum continuo suppeditatur; accedit interim *tussis* à materia hac acri producta, fistulamque pulmonalem acrimoniâ sua continuam ad irritationem irritare valente, unde spirituum animalium influxus vehemens & inordinatus in has partes, & musculos expirationi inservientes concitatur, motusque convulsivus oritur, atque aer celerius per angustias cum sonitu expellitur, atque tussis producitur; quod si in ista aeris violenta expulsiōe simul humor aliquis seceratur, extundatur, & evacuetur *sputum* apparet, pro varia humoris constitutione, atque glandularum & tubulorum, ex quibus expellitur, conditione varium in consistentia, colore, sapore, quantitate, tempore, &c.

V I I.

Cæterorum phænomenorum deductione propter brevitatem neglecta, atque differentiis, quæ bene multæ ab authoribus recensentur, præteritis, transeo ad signa prognostica.

VIII. Mor-

V I I I.

Morbus hic, si quis alius periculo non vacat, cum inter morbos acutos merito annumeretur. Melior tamen in eo spes versatur si sputa statim appareant, uti illud recte annotavit medicorum princeps *Hippocrates Aph. 12. S. 1. in pleuriticis Sputum si statim appareat veniente morbo abbreviat.* indicat enim & mitiorem esse materiam, & facilius expectorantibus medicamentis excerni posse: malum è contra indicat ubi sputa retinentur, fixius enim adhærere signum præbet; unde facile Empyëma induci potest notante illud etiam *divino Sene Aphor. 8. Sect. V. qui Pleuritici facti non repurgantur superne in quatuordecim diebus, his in suppurationem convertitur; nisi forsitan talis excretio per urinas sequeretur; de reliquis signis prognosticis bonis aut malis videri potest Hippoc. in Coac. 111. N. 124. &c.*

I X.

Indagavimus hactenus morbi, naturam ejusque Theoriam ob oculos posuimus; præcipua ejus pars quæ homini hisce in angustiis versanti pristinam adfert valetudinem, videlicet curandi methodus adhuc superest, quæ, pro ut materia vel vires vel circumstantiæ suadent, maximam varietatem inducit, ac ratione ætatis temporis &c. consideranda existit.

qui

qui porro hic tractandus est morbus ex indicationibus curativis peti potest.

X.

Illæ igitur hic ut in omni inflammatione sese offerunt, nimius videlicet, ad partem affluxus impediendus, humor ipse stagnans resolvendus, partes obstructæ aperiendæ, nec non acrimonia temperanda, mitigandaque existit: materia fixa suppuranda posteaque idoneis pectoralibus expectoranda: quibus indicationibus quomodo satisfieri possit per compendium brevitati studens docebo.

X I.

Sanguinis detractio, cum quantitatem nimium fervorem, & impetuosum ad partem motum spectet, recte instituitur in principio; in latere affecto celebranda, & pro rei exigentia & circumstantiis quandoque pluries iteranda, habitâ diligentivirium ægri ratione. Purgantia hoc rerum statu locum inveniunt nullum; alvus si dura sit, ea clystere emolliente recte ducitur.

X I I.

Hiscæ ita ex arte præmissis adhibitisque, utiliter exhibentur medicamenta, quæ sanguinis fervorem,
& af-

B

paper.

10 · DISPUTATIO MEDICA

papar. erratic. confecta , quæ ægri sitim sanguinis-
que fervorem exstinguere, & temperare potis sunt.

X I I I.

Eundem in finem quoque emulsiões convenire
possunt , illæ enim sæpe aut diaphoresin promo-
vent aut urinas cient , quæ evacuatio hoc in mor-
bo sæpe plurima ad perficiendam curam præstat.
cujus veritatem argumenta Pleuriticorum , in cujus
urinis pus observare licuit, clare edocent.

X I V.

Traditâ jam morbi curâ , restat ulterius procura-
re , ut bona diætâ observetur , quæ consistit in re-
rum sex non naturalium recto atque legitimo usu.
Aër enim sit hic calidus , cibus in morbi principio
tenuis ; ex jusculis , ptisana, hordeatâ , posteaque
affluxu nimio sedato , ova forbilia , amygdalata &c.
conveniunt , omnia acria acida, austerave cane pejus
& angue vitanda , potus sit cerevisia tenuis , vel ex
Julapiis superscriptis ; omnes motus majores viten-
tur , quiesque procuretur ; somnus liberior conce-
dendus , atque alvi excrementa pro ratione necessi-
tatis expellenda , atque omnia animi Pathemata gra-
viora fugienda : hisce omnibus ita secundum artem
administratis , atque observatis amissæ sanitatis re-
stauratio annuente Divino numine brevi expectanda
est ,

est, cujus carente auxilio omnia frustra adhibentur; itaque hoc tempore manum de tabula.

COROLLARIA.

I.

Succum pancreaticum in statu naturali acidum esse, negamus.

I I.

Idem dictum sit de fermento ventriculari.

I I I.

Saliva recte alimentorum menstruum statuitur.

Eatus

IV.

Fatûs conceptio non in utero , sed in ovario fit.

V.

Lac è chylo generari , affirm.

F I N I S.

